

**05**

**A**

**2072**



*Q. D. B. V.*

SIMSONEM  
AYTOXEIPIAC  
ABSOLUTUM,

PRAESIDE

*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
atq; EXCELLENTISSIMO*

DN. CHRISTIANO Röhrensen/  
Philosoph. Praet. P. P. longè celeberrimo,  
& Alumn. Elect. Ephoro gravissimo,

*PATRONO, PRÆCEPTORE, ac PROMOTORE  
SVO omni honoris & observantia cultu  
devenerando,*

publicæ quæstioni subjicit

*Ad d. 5. Febr. A. O. R. M. DC. XCIIX.*

*H. L. Q. C.*

M. CHRISTIANUS Runke/ Leisnigio-  
Misnicus, Elector. Sax. Alumnus,  
Autor Responsurus.

---

VVITTENBERGAE,  
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.



AS A 20

M. G. R. I. S. T. I. A. N. U. S. P. A. R. T. I. S. I. C. H. A. N. G. I. O.

V. T. T. I. M. P. E. R. C. A. E.





Q. D. B. V.

I.



Vo illustrior apud gentiles, eos imprimis, qui Stoicorum disciplina innutriti fuerunt, mors voluntaria extitit, eò foedius in cœtu diviniore existimatum hoc moriendi genus est. In hoc equidem Donatista reperti sunt, qui genus martyrii, seipsum interimere, censuerunt: verum erroris hujus nefandi gravissimè eos convicit *Præsul Hipponensis, toto fere lib. II. quem scripsit contra Epistolam Gaudentii, & lib. I. de C. D. à c. 17. usq. ad 28.* Hi vesani *αὐτοχρησία* patroni causæ pessimæ præsidium quærebant in quibusdam scripturæ S. dictis, sed malè intellectis, ut & in exemplis quorundam *αὐτοφόνων* ibidem insignium, fraudulenter in sententiam suam adductis. Maxime nitebantur Simsonis factis heroico, sed quàm incommode illud in sui defensionem vocaverint, & *laudatissimus Augustinus, II. alleg.* ostendit, & nos pro ingenii captu evincere conabimur. Animo siquidem constituimus præsentis dissertationis SIMSONEM ΑΤΤΟΧΕΙΡΙΑΣ ABSOLUTUM sistere: Quam dum meditamur operam à summo rerum arbitro ea, qua decet, pietate contendimus, velit in partes nostras clementissimè venire, quò de gravi actione hac convenienter statuere valeamus!

II. Disceptanda proinde nobis *Simsonis αὐτοχρησία* veniet; prius autem, quàm illam in forum Morale trahamus,

quædam de *Αυτοχειρία* generatim præcipienda videntur, ut eò expeditior deinceps de Simsonis facinore sententia nobis relinquatur.

III. *Nominis* consideratio eò minus injicit nobis moram, quò magis illius vis ac usus constat. Sic enim cuiusvis, qui vel primis labris literaturam Græcam attigit, apparet, ductam hanc notionem esse *διὰ τῆς αὐτῆς χειρὸς*. Propriè autem *αὐτοχειρία* illud, quod propria manu factum, uti & *Αὐτοχειρ* illum, qui propria manu aliquid fecit, denotat. Quod probatu nobis perfacile esset, si vel Grammaticorum scrinia compilare vellemus, vel minus confideremus, hanc significationem laxiorem à nostra strictiori & usitatori remotiorem esse. Nobis enim *Αυτοχειρία* idem valet, quod mors voluntaria, prout *Tullius* accipit *lib. VII. Epistol. 3.*

IV. Lubentes itaque ab' anxia notionis explicatione abstinentes ad ea, quæ rei rationem explicant, propereamus. Id quod hoc modo efficere studemus, ut existimemus, *Αυτοχειρίαν* esse excessum timiditatis sædisimum, qui ex prava animi perturbatione excitatur, & ex opinione boni consequendi, aut mali presentis deprecandi, stolido impetu voluntariam mortem maturat.

V. Ad *Timiditatem* enoïme hoc flagitium optimo jure referimus. Et quanquam quiddam audaciæ conjunctum habere videatur, plurima tamen timiditatis vestigia ibi deprehendere licet. Extremæ equidem audaciæ tribuendum videtur, quod adeò promptè morti se objiciant *αὐτοχειρες*; Verùm hujus temerarii facti causam si timiditatem dixerimus, à vero nihil alienum statuemus. Tot enim *αὐτοφόνων* exempla loquuntur, quod plerumque incommoda quædam & pericula fugientes in tantam perniciem se detruserint. Sic horum alii fugerunt  
quos-

quosdam dolores & cruciatus corporis, quorum tolerantiam fortitudo maximè docet? Alii fugerunt amoris illusi & elusi vulnus; at quale? quod vitasse, quàm accepisse jam omnes sanum magis & honestum existimant; Rursus alii fugerunt luctum & mœrorem ob causam perditam, aut ob injuriam illatam, quam vindicare nequiverunt, aut ob conscientiae vermem, aut denique ob dedecus & ignominiam. Quibus modis nefarii vitæ suæ proditores timiditatem produnt. Vid. *Even. Doctrin. Moral. Diss. XXVI. Theor. 2.* Dignum hoc loco Philosophi testimonium, quod interponatur: *Mortem subire, 3. Eth. 8. inquit, ut fugias inopiam, vel captivitatem, vel quamcunq; molestiam, non est viri fortis, sed timidi. Nam laboriosa fugere, nec, quia honestum est, id facere, sed, ne malum patiaris, ignavia est.*

VI. *Excessum timiditatis* quando vocamus, in naturam hujus peccare videmur, quæ secundum Ethicorum mentem in defectu consistit. Verùm edocti ab *Excellentiss. Dn. Præs. Patrono atq; Præceptore nostro maximopere colendo, in Prud. Moral. P. IV. Class. 2. Art. 1. §. 67.* statuimus: Timiditarem & excessum & defectum admittere, dum modum metuendo excedit, & confidendo deficit: quando vero defectus assignetur, ad primarium fortitudinis actum haberi respectum. Timiditas enim à medio deficere existimatur, quia minus, quàm decet, animosam in aggrediendis & perferendis malis mentem ostendit. Quoniam autem in *ἀντιχρησία* majorem excessum, quàm defectum deprehedimus, illum potius præ illud, quem tamen non exclusum volumus, adsignare lubuit.

VII. *Ecceitas* maximè apparet inde, quòd & *in Deum, & in semetipsum, sociumq;* gravissimè peccet *ἀντιχρησία*. In Deum peccat, maximamque ipsi facit injuriam, rem eam, quæ ipsi soli subjecta est, absque auctoritate destruens, Nam

ipse solus vitæ necisque potestatem obtinet. Ordo quippe rerum naturalis postulat, ut ea, quæ homine sunt inferiora, ipsius potestati sint subiecta, ita ut ea possit in usum suum interimere; ipsa verò humana vita non sit subiecta, nisi Deo, & certis casibus ipsi Reipub. loco Dei. Non enim par est, ut illud donum, quod nulla sua industria homo potest sibi comparare, nulloq; modo ab ipsius consensu pendet, in ipsius sit potestate, sicut res inferiores. Quemadmodum cæteris paribus non incommode iudicat Less. de Just. & Jure, lib. 2. Cap. 9. dubit. 6. n. 22. Qua de causa etiam justissimus rerum conditor hominem à sua ipsius cæde præcepto deterruit: *Non occides*. Quo non homicidium transiens solum, quod in proximi; sed reflexum etiam, quod in proprium corpus committitur, gravissimè interdicit. Tum in semetipsum peccat, commune naturæ institutum violando, quod omnium animantium generi vitæ suæ amorem in sevit; homini vero talem contulit animum, ut quantiscunq; prematur malis, curis & sollicitudinibus, adhuc tamen, quantum in ipso est, vitam tueatur, & mortem refugiat. Maxime opere itaque hoc instituto tenetur homo ad sui conservationem, quæ neglecta non solum creatori & generi humano, sed & sibi injuriam facit, quanquam, quod ad ultimum, contrarium, ad socialitatem suam eò melius defendendam, statuat Pufendorff. de J. N. & G. lib. II. Cap. 4. §. 1. & 5. In socium denique peccat. Cum enim non nobis solum nati simus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes vendicent, partem amici, gravissimè profecto notandus est, qui manus sibi inferendo violentas patriæ se custodia ac usibus subducit, parentes filio, liberos parente, Rempub. cive spoliatur, amicis denique charitatis officia subtrahit. Confer. Excellentiss. Dn. Pres. l. c. §. 18.

IIX. Causam originemque tribuimus prave animi perturba



*turbationi.* Animo quippe perturbato, pravisque cupiditatibus abrepto, non possunt non pravi hujusmodi morum effectus sequi. Lumen enim rationis intercipitur, iudiciumque practicum impeditur, quo minus rectè de actus moralis circumstantiis judicare possit.

IX, Maximè autem *αὐτοχρησίας* promovet præposterum *Existimationis* studium, quale in Catone Ulicensi, propriæ cædis nomine maximè insigni, fuisse reperimus, quem fortitudinis constantiæque ambitio ad internecionem sui impulit. Tale etiam in Lycurgo animadvertimus, qui, ut justî legislatoris fama floureret, manu violenta vitæ quasi vit exitum. Cum enim Apollinem consulere vellet, an leges quasdam novas prioribus adderet, jurejurando obstrinxit Lacædemonios, ne in ulla parte ab iis, quas tulerat, legibus ante reditum suum discederent. Postquam vero ex oraculo didicit, felicem fore civitatem, si latas ab ipso leges constanter servaret, constituit in patriam reverti nunquam, ut servandarum legum quasi obsidem teneret adstrictam jurejurando populi fidem. Neque hoc tantum, sed & Crissam profectus manu sibi fecit vivendi finem. Lacædæmonii intellecta viri eximia virtute, non ex vita modo omni, sed vel maximè ex tali exitu, fano structo, araque ibi excitata, sacra quotannis facere Lycurgo, ut Heroi, cœperunt, refer. ex Nicol. Damasc. *Grob. in Epist. ad Gallos p. 292.* Eandem justitiæ famam Charondas Thurius aucupans, ferro districto incubuit. Vid. Val. Maxim. lib. VI. cap. 5. extern. 4. Brachmanes Indorum sapientes, velut sapientiæ cujusdam specimen edituri, pulchrum existimârunt fati diem occupare, Curt. lib. 8 c. 10. Idem etiam Stoicorum institutum fuit, de quo Lipsius in *Manud. ad Philosoph. Stoicam lib. III. Dissert. 22. 23.*

X, *Impatientia* plurimos quoque perduxit ad hoc grande

de nefas, quæ oritur *velex* doloribus corporis & cruciatibus, sicut *Josephus lib. 17. antiquit. Judaic.* narrat de Herode, quod cum intestinorum exulceratio, potissimumque coli æres & acerbis dolores, ut & pudendorum putredo vermes procreans graviter illum affligerent, post varia frustra quæ sita remedia cultum poposcerit, eoque vitam finire decreverit: *Vel ex amore sive desiderio rei amata.* Cujus rei exemplum est *Dido apud Virgilium, Æneid. IV.* quæ cum *Æneæ* amorum compos fieri non posset,

partes animum versabat in omnes,

Invisam quærens quàm primum abrumpere lucem.

Quod opere etiam postea complevit, quando eam in sermone medio

ferro

Collapsam aspiciunt comites, ensemqve cruore

Spumantem, sparsasque manus

*Velex* luctu & mœnore ob causam perditam. Id quod tristissimo exemplo suo probat *Saul*, qui cum à Philistæis premeretur, jamque in eo esset, ut caperetur, districto ferro incubuit *1. Sam. 31, 4.* Eadem fere de causa foedam ejusmodi mortem acceleravit *Achitophel*, qui cum vidisset, consilium suum irritum factum, suspendio interiit. *2. Sam. 17. 23.*

XI. *Indignatio* quoque complures ad sui internecionem armat. Quando enim injuriam sibi illatam ulcisci non possunt, in proprium corpus sæviunt, ultionemque de seipsis sumunt iræ exacuti. Quale fuit factum *Lucretia*, quæ teste *Livio, decad. 1. lib. 1.* stuprata à *Tarquinio*, convocatis, patre, marito cæterisque amicis, obortis repente lacrymis, Tyranni flagatium detexit, & educto cultro, quem sub veste occultum habebat, se statim confodit.

XII. *Desperatio* desperatam denique *avroxeçia* imprimis adjuvat. Quæ cum sit metus omnem abjiciens spem,

spem, infelicem *αὐτοχρησία* impellit, ut lucem per os una  
projiciat animam. Huc spectat historia *Francisci Spira*, ho-  
minis caudidici, & dicendo imprimis exercitati, quam mul-  
tis persequitur *Sleidanus lib. 21. de statu Relig. & Reipubl.*  
qui Venetiis coram legato Pontificis, Archiepiscopo Bene-  
ventano, agnitam doctrinae Evangelicae veritatem abnega-  
vit; & postmodum Patavium reversus ita animo mœerere,  
ita angere & discruciarî cœpit, ut non in ægritudinem modò  
gravissimam, verùm miserandam desperationem incide-  
ret, ita ut nulla plane consolatione admissa tandem infeli-  
cem & desperatam animam efflaret, falsò sibi persuadens,  
blasphemiam in Spiritum S. se commisisse, ac proinde nul-  
lum sibi amplius ad gratiam & misericordiam DEI patere  
reditum.

XIII. Ad has animi perturbationes referenda quoque  
*Melancholia* est, qua plurimi impulsî vitam deposuerunt.  
Sic de Piscatore quodam refert *Evenius l. c. Theorem. I. n. 17.*  
*ex Laurentio Codomanno*, quod ille anno 1581. cum ante ho-  
ras 24. Sacra coena se præmuniisset, mania correptus, no-  
ctu domo egressus, frustra detinente eum muliere invalida  
& perterrita, antequam vicini clamore ipsius excitarentur,  
ad Rhenum properarit, & aquis ipsius suffocatus miserimè  
interierit. De ejusmodi autem Melancholicis, sibi ipsis  
mortem consciscantibus, judicat post alios *Pufendorff.* quod  
à crimine *αὐτοχρησίας* sint eximendi l. c. §. 5. Quamquam  
etiam hic sit attendenda causa hujus *αὐτοχρησίας* Melancho-  
licae, utrum ex tædio vitæ, ex vulnere conscientiae, ex me-  
tu reprobationis, aut impatientia sit profecta, quibus re-  
media præsentissima, à *B. Balduino Cas. Conf. XIII.* allata,  
sunt opponenda. Nec artis quoque salutaris munia hic sper-  
nenda, de quibus *Fascbius Dissert. Inaugural. de αὐτοχρησία*  
*Respond. Dn. Friderico Hoffmanno Jena 1681. habita.*

B

XIV. Fi-

XIV. *Finis*, quem *αὐτοχρησία* obtinendum sibi proponit, est vel *boni alicujus consecutio*, vel *mali presentis deprecatio*. Quam autem hujus compotes fiant, tristissima *αὐτοχρησιῶν* exempla loquuntur. Virtutis enim gloriam quemadmodum ratione non quarunt, sic omni boni cujusdam obtinendi spe dejiciuntur. Insignem contra infamiae sibi contrahunt maculam, nullo modo eluendam. Malum adhuc praesens, quod saepius leve & superandum videtur, deprecari studentes, in gravissimam vitae & animae perniciem stolido conatu incidunt.

XV. Haecenus quoad antenus *αὐτοχρησίας* naturam persecuti sumus: nunc non adeo alienum videbitur docere, quomodo illa dispesci soleat. Nobilem maxime utilemque *distinctionem* Moralium Doctores faciunt, inter *αὐτοχρησίας* *directam*, & *indirectam*. *Illam* vocant, quando quis intendit seipsum de medio tollere, atque ex propria intentione se interficit. Id quod fit vel telo in corpus adacto, vel praecipiti saltu, vel spiritus elisione, vel submersione, vel hausto veneno, vel incisione venae, vel laqueo, aliove vitae abruptenda genere. *Hanc* dicunt, quando quis manus quidem violentas sibi non infert, nec mortem suam intendit, id tamen facit, ex quo mors aut necessario, aut contingenter & fortuito saltem sequitur. In eadem sunt culpa, qui id faciunt, unde mors *necessario* & *inevitabiliter* sequitur, in qua illi, qui directe vitam sibi eripiunt, cum iudicio morali causa turpis actus habeatur & qui directe ac immediate illum producit, & qui id agit, aut agere omittit, ex quo facto, l. omisso turpis actus perse sequitur, prout gravissime iudicat *acutissimus Dn. Praeses*, remque *exemplis illustrat l. c. §. 19. 30. 31.* De iis autem multo aliter habendum, qui faciunt quicquam, unde *contingenter* & *fortuito* mors sequitur, quae involuntaria, ipsis est; v. g. si quis casu aliud agens se sclopeto, aut alio

lio instrumento perimat, item si cultro, vel securi sibi vulnus infligat, ex quo postea ipsi moriendum sit; si pharmacum aliquod accipiat, quo sibi pereundum est, aut venenum gustet, quod putet venenum non esse. Et si qui sunt alii casus toto die evenientes.

XVI. Quæ igitur hætenus de ἀνομιαιᾶ attulimus, maximè facere possunt ad gravitatem ejus cognoscendam. Nulla itaque causa est tam honesta, tam bona, quæ alicui veniam det directè seipsum occidendi, sive positivè, sive negativè; neque ulli hic prætextus juvant eos, qui putant esse licitam sui ipsius internecionem, ut mala magna evitentur, ignominia, servitus, inopia, morbus, dolor; aut ut magna bona acquirantur, ut v. c. pudicitia tecta conservetur, ut virtus, ut religio, ut patria defendatur, ut vita proximi conservetur. Hi sciant, nunquam esse facienda cuiquam mala, ut bona consequantur, aut alia minora mala evitentur. nequaquam malum turpe est committendum, ut evitetur malum triste *Vid. Heereboord Exercitat. Eth. XXXV. thes 3.*

XVII. Facillima itaque sententia relinquitur de virginibus illis sacratis, quarum *Augustinus lib. 1. de C. D. c. 26.* meminit, quæ insectatorum pudicitia fugientes tyrannidè, cum è tergo hærent milites truculenti, Christo devotè invocato, miserando spectaculo simul in fauces Neptuni omnes irruerunt, ne corporis sui copiam facerent hostibus. Exemplum non dissimile & satis atrox vidit ætas superior. Cum enim Rex Poloniae Stephanus in obsidione Dantiscana occupatus esset, & Moscovitæ captata occasione in Livoniam irruerent, atque arcem & civitatem Wendenam munitam & amplam expugnarent, in eaque crudelissimè in utrumque sexum & quamlibet ætatem cædibus, libidine & aliis atrocibus modis sævirent; hanc vero immanem crudelitatem ii, qui in arcis munitum locum confugerant,

conspicati essent, desperabundi cum uxoribus & liberis pulvere tormentario incenso sese interemerunt, ne in tam truculentos hostes cum presentaneo discrimine honoris & pudoris inciderent; sicut *Camerar. cap. 78. Centur. 3. Med. Hist. ex Laurentii Mulleri Historia septentrionali, refert.* Nec praesidium causae quaerendum in ignorantia, invincibili, sive inculpata, qua *Moralium DD. Pontificii* ejusmodi casus excusare solent, quod facit imprimis *Lefsius l. c. n. 23. 24.* ut Martyres seipsum occidentes eò melius ab hoc crimine defendere queat: Verùm fingitur ejusmodi ignorantia invincibilis in his casibus, non probatur; quam facilè enim esset, posito, quod ignorantia aliqua mentem teneret, has tenebras discutere, & in se aut proximum, vel Deum, autorem vitae & amatorem, reflectere. *V. Job. Ad. Osiand. Theolog. Moral. Tab. Sec. Decalog. cap. II. p. 66. 77.*

XII. At enim vero si hæc est *αυτοχρησία*, turpissima ratio, quid fiet de *Simfione nostro*? Qui à crimine hoc ipsum defensum ibimus? Grave sane nobis imposuimus onus, nostrisque viribus impar; non tamen, quod semel suscepimus, nobis subterfugiendum. Quò autem certo progrediamur ordine, defensionemque faciliorem nobis reddamus, primò disquisituri sumus *de persone conditione*; tùm *de facto ipso*, in quo præcipue caput controversiæ versatur, cui denique *judicium morale* annectemus.

XIII. *Personæ conditionem* summarim expressuri, *Simfionem Heroa* divinitus excitatum appellamus. Quæ alias in Heroë quaeruntur, in *nostro* modo excellentissimo invenimus. Munus Herois primum hoc constituent, ut *impellatur afflatu divino*. Nullus liquidem Vir magnus, vel *Tullio monente*, sine afflatu divino unquam extitit. Heros itaque singularibus donis communem,  
homi-

hominum conditionem excedentibus exornatus esse debet. Unde *Lucianus in Dialog. 3.* scribit: Ἡρώς ἑστίν ὁ μὴτε αἰθέρωτος ἑστίν, μὴτε θεός, καὶ συναμφοτέρον ἑστί. Quod sic intellectum voluit, Heroa videlicet esse *hominem*, ratione humanitatis: *Deum*, respectu sortis & conditionis, quia ad sublimiorem, quàm quæ aliis hominibus est communis, elevatur conditionem. Qua de causa etiam *ἥμιθεοι* ab Hesiod. 1. ἐργ. appellantur Heroes. Quid igitur de *Simfone* judicabimus? Ab ipso spiritu diviniore docemur, natum illum Heroa fuisse. Quemadmodum enim ab utero materno usque ad vitæ exitum Deo devotus erat, ut oppressos Philistæorum servitute Israelitas in libertatem vindicaret; ita etiam robore animi divinissimo erat instructus, ut infensissimi nominis Israelitici hostes impetum ejus sustinere minimè possent. Quotiescunque magnificentum quoddam moliretur factum, animus semper impetu altiori divinitus concesso ad illud efficiendum accendebatur, prout de Simsonis gestis sacræ literæ abundè testantur.

XX. *Alterum*, quo Heroes imprimis celebrantur, est *magnanimus aggressus*. Tanta animi excellentia, tantisque viribus cum instructus fuerit Simson, non poterat non maximè illustria audere facta atque aggredi. Quum enim, *secundum illud Scaliger. Exercitat. 52.* Cæsar, sive Herois cujuslibet animo dignum, id etiam tentare, quod per naturam præstari nequeat; ille opera omnino grandia non trepide, sed alacritate egregia, magno calore ac molimine suscipiebat. Non diuturno utebatur consilio, (moram enim spiritus ardor non patiebatur,) sed ex abrupto quasi, & de re præsentis captum consilium ipsi facto conjungebat.

XXI. *Tertium*, quod Simsonem Heroa efficit, est *admirandus*, & *longe felicissimus successus*. Obstupe-  
scimus sane, quoties animo stupenda Simsonis facinora,  
ponderamus. Et quis non stupore abripiatur, qui per-  
pendit personarum, cum quibus congressus saepe est, mul-  
titudinem, periculorumque, quæ ipsi jam impendebant,  
magnitudinem? Cum triginta viris manum conferere,  
ipsosque armis vestibusque exuere, leve illi videbatur.  
*Judic. 14, 19.* Etiam mille viri ipsius vim sustinere non  
poterant, quos maxilla asini putrida universos trucidavit,  
*Cap. 15, 15. 16.* Tantisque facinoribus apud Philistæ-  
os illustratus est, ut communis ipsorum audiret terror.  
Pericula, quanta quanta erant, felicissime superabat;  
fortunæ belli cum hostibus suscepti finem eventumque,  
ita habebat cognitum, ut restibus etiam ligari se patere-  
tur, nihil mali suspicans, aut extimescens, *Cap. cit. com.*  
*12. 13. seqq.* Cumque Philistæi arbitrarentur, se maxi-  
mis ipsum clausisse angustiis, tamen hinc se expediebat,  
ipsosque denuò laceſſebat. *Judic. 16, 2. 3.* Mittimus ul-  
timum ipsius præclare factum, quoniam §. *seq.* in illud  
inquirere constituimus; & tantum, quod ad declaran-  
dam ipsius personæ conditionem imprimis pertinet, ad-  
huc monemus, fuisse Simsonem personam publicam, Di-  
ctatorisque velut munere functum, quod continuis vi-  
ginti annis obiit, prout nemini non apertum est ex *sacro*  
*Judicum Commentario, cap. 15, 20. & cap. 16, 31.* Quo  
nomine præcipuè obligatus fuit, cives suos ab injuriis  
hostium etiam cum vitæ periculo defendere.

XXII. Verùm properabimus ad Simsonis nostri  
*facinus extremum*, cujus gratia omnis nostra disputatio  
instituitur. Eò demum cum excellentissimo hoc Heroe  
res erat redacta, ut in potestate Philistæorum esset. Quos  
ſæpius



sapius ita eluserat, ut nunquam ipsius potiundi facultatem haberent. Verum quod hostium vis efficere non poterat, amore efficiebat. Dum enim blando Delilæ imperio se constringi patiebatur, dementi ratione omnia cogitata, profundissimosque animi recessus patefecit. Hæc eadem callidissima & ad fraudem acutissima meretrix statim Philistæis enunciavit, spe præmii ab ipsis promissi, si experiretur, tanta corporis firmitas, tantumque animi robur in Simsone unde proveniret. Quid tum? Vicit illa tantum leonis domitorem, tantum Philistæorum terrorem, totque millium victorem. Sed quibus armis? muliebribus, i.e. blanditiis, verborumque lenociniis nequissimis. Quo facto victus tradebatur Philistæis, quos frustra expertus, effugere non poterat; vis enim Heroica omnis ab eo excesserat, dum leges, quibus Deo devotus tenebatur, meretricis fraude & abscissione Cæsariei rescinderentur. Comprehendebatur proinde à Philistæis, & quum paulo ante ex nimia Delilæ consuetudine mentis lumen amisisset, miser binis oculis privatur. Nec hoc satis habebant infensissimi ipsius nomini hostes; ipsum etiam in vincula publica Assahitarum conjectum, custodia detinebant arctissima, quinimo in pistrinum detrudebant, ubi miserrimis modis exercebatur. Læti interim ob de tanto Heroe reportatam victoriam Philistæi festos dies in honorem idoli sui agebant; Potentia siquidem Dagonis sui, ejusque ope, se domuisse hostem suum vociferabantur, ignorantes, hanc calamitatem veri Israelitarum Dei permissione justa Simsoni evenisse. Hæc tamen lætitia nec adeò diuturna fuit, nec lætum utique habuit exitum. Socium dum communis hujus tripudii Simsonem adsciscerent, ut ipsis spectaculo esset, ludendoque eosdem recrearet; per-

percitus justo hic Heros zelo acta seria de commissis vitæ erroribus pœnitentia Deo reconciliatus, in vindictam non tam suorum oculorum, quàm Dei præcipuè honorisque divini impellebatur. Delectatis enim Philistæorum Satrapis cum uxoribus liberisque Simsonis lusu meritam comparabat perniciem. Siquidem inter duas columnas collocatus ardentibus suspiriis Dominum sollicitabat, ut amissas sibi restauraret vires, quo hostes suos ulcisceretur, sibi que justas morte pœnas persolverent. Nec preces desiderato frustratæ sunt eventu, & Deus amissum robur ipsi restituit, ut comprehensis columnis, quibus domus innitebatur, iisque subrutis totius ædis ruinam, unaque tot mille Philistæorum interitum promoveret. Quo pacto exoptatam de ipsis ultionem sumebat, Deique omnipotentis gloriam tam foedè hæctenus à nefandis his barbaris derisam assererat, quanquam unà ceu invictus Heros decumberet; moriens tamen plures interfecit, quàm vivus conciderat. Vid. *Jud. cap. 16, per integr.*

XXIII. Hæc itaque facti series est, unde *ἀντιχριστίας* patroni præsidium malæ causæ petunt: Verùm rectè si judicare velimus, in Simsonis facto Heroico, ideoque in imitationem minimè trahendo, nullum quærendum patrocinium est. Adjungimus proinde *Judicium* ex sobria Philosophia petitum, divinæque revelationi conforme. Remotum autem illud ab instituto nostro volumus, quo Simson nimia Delilæ consuetudine sui excoecationem adjuvit, istaque ratione quoad partem *ἀντιχριστίας* se reum fecit. Hoc enim in nullam vocatur quæstionem; istud vero prudenti animo ponderandum, quo domus everfione sibi ipsi intulit mortem.

XXIV. Si

XXIV. Si hic locus dandus esset *revelationibus*,  
quas vocant *S. Mathildis*, in quibus *l. s. c. 6.* refertur, vel-  
le Deum hominibus ignotum esse, quid misericordia sua  
cum Simsonis, Salomonis, Origenis & Trajani animabus  
fecerit; suspendendum potius iudicium esset. Momen-  
tis tamen gravibus innixi non veremur de hoc Simsonis  
casu statuere. Non equidem nobis sumimus à physica  
mortis illatione absolvere nostrum; bene tamen, quod  
morum genus spectat, hoc efficere confidimus. Quor-  
sum *B. Dannbaueri* sententiam referimus: Exempla, in-  
quientis, *Colleg. Decalog. p. 692 Christi, & Simsonis morali-*  
*ter non sunt αυτοχειροι.* Sicut enim Physice parricidium  
commisisset Abraham, quia pater filium interemisset, mora-  
liter tamen parricidium non commisisset, quia iussu eius fe-  
cit, qui cum sit Dominus, etiam innocentem (non omni in-  
nocentia, sed illa, ob quam alius gladio homines solent oc-  
cidi) mactare potest & vita privare. Ita Christus & Simson  
sue mortis fuerunt auctores, sed Ethicè non fuerunt αυτο-  
χειροι.

XXV. Quibus præstructis, adferenda illa sunt, qui-  
bus à crimine Simson potest defendi. Primas dubio pro-  
cul tenet illa excusatio, quam *Augustinus* subministrat:  
*Nec Simson, ait, aliter excusatur, quod seipsum cum hosti-*  
*bus ruina domus oppresserit, nisi quia Spiritus latenter hoc*  
*jusserat, qui per illum miracula faciebat. lib. 1. de C. D. cap.*  
*21.* Huic etiam *Rivetus*, considerata hujus facti difficul-  
tate, suffragatur: *Nisi de Spiritu, quo ductus fuit Simson,*  
*persuasi essemus, vix possemus factum ipsius excusare. Ex-*  
*plicat. Decalog. p. 276.* Quæ ipsa sententia scripturæ di-  
vinioris fundamento non destituitur. Heroëm enim i-  
psum fuisse cognovimus, patriæque suæ liberatorem. Af-  
flatu itaque singulari accendebatur ad recuperandam po-  
pulo

pulo suo libertatem, licet etiam vitæ periculum timendum esset. At obvertet quis: A Simsone hoc tempore Spiritus discesserat, proinde non poterat ad ejusmodi factum ab ipso instigari. Verùm historia ipsa satis evincit, quod denuo impetu Heroico Simson instructus fuerit; quæ de re etiam *Epistola ad Hebr.* ipsum refert inter *ἐνδυναμωθέντες δυνάμει θεῆς Cap. XI, 34.* Et præterea conatus tanti facti, quod non erat virium humanarum, satis confirmat, spiritum divinum accessisse, novumque addidisse robur. Hoc autem robore Simson in hostes suos usus sibi ipsi una cum illis exitium maturavit. At tamen debuit parere Domino jubenti, cujus instrumentum erat. Ut ergo gladius non dicitur aliquem interficere moraliter; quia merè instrumentaliter se habet, ita non ipse se occidit, qui ministerium debuit jubenti, uti *Oshander* judicat *Annot. att. ad Grot. 2, 19, 5.*

XXVI. Quæ cum ita sint, nullam temeritatis notam incurret Simson, sed potius viri fortis munus functus existimabitur. Duo siquidem præcipui sunt fortitudinis actus, *aggredi* videlicet & *sustinere pericula*: in quibus, ut officio suo rectè fungatur vir fortis, ante omnia *confidentia* opus est, quæ ad futura præparetur animus, ut periculorum impavidus arduum atque difficile suscipiat negotium, *monente Excellentiss. Dn. Presid. l. c. §. 13.* Utrumque præstitit Simson, siquidem nixus fiducia in omnipotentis DEI auxilium, speravit & hostes se ulturum, & evasurum, sicut aliàs in rebus difficillimis eluctari non semel consueverat. Noverat enim, Deum, si vellet, facile se conservare posse, domo saltem in Philistæos cadente, adeoque tum temporis in mortem suam simpliciter & absolutè haudquaquam propendebat, sed seriis precibus divinum implorabat auxilium, vitæque suæ in hoc

hoc periculo sperabat conservationem; Deo si aliter visum fuerit, quicquid acciderit, laturus. Quare etiam mortem non detrectabat, quod affectus plenum suspirium probat; *Moriatur anima mea cum Philistæis* q. d. *explicante B. Dannb. in Colleg. Decal. l. c. §. 14. Rogo te Deus, ut hoc è periculo me eripias, vel, si me vis in eodem occidere; Ergò moriatur anima mea cum Philistæis. Ita etiam vir fortis diceret: Juxta me Deus in hoc bello, ut cum victoria vivus redeam, sin minus ita tibi videbitur, nec mihi vita mea erit tanti.*

XXVII. Præterea causæ nostræ quoddam adjumentum adferri potest ex magistratu publico, Servatorisque singularis partibus, quas sustinebat Simson. Princeps itaque cum populi sui ac gubernator esset, & liberator, licebat ipsi vitam suam citra *αυτοχρησίας* crimen usibus Israelitarum impendere. Principes enim boni luminis instar præluendo aliis ipsi consumuntur, quibus hanc gratiam referunt fideles subditi, ut pro ipsorum patriæque salute, nec ipsi vitæ pericula subire detrectent. Quominus enim pro aliis vitam nostram possimus profundere, non obstat divina lex, sed monemur potius, ut vitam nostram pro fratribus ponamus. *1. Job. 3, 16.* Monito huic satisfecit Simson, fortiterque pro suis mortem optulit. Nec est, quod quis modum in dubium vocet, qui debitus omnino honestusque fuit, quem recta ratio oppidò moderata est. Maximæ sane prudentiæ specimen in Simsone erat, quod tempore utebatur eo, quo nobilissimi Philistæorum congregati erant, in quorum pernicie consistebat spes atque salus Israelitarum omnis. Idoneam igitur hanc occasionem non dimittebat, sed subruendo ædis columnas fortiter periculum mortemque ipsam aggrediebatur.

XXIIX. Nec finis hoc loco eventusq; longe felicissimus est prætereundus. Primarius Simsonis finis erat ulciscendi gloriam divinam, quæ in corpore suo Philistæis erat derisui. Maximè enim tum divinus periclitabatur honos, dum idolo tantam potentiam tribuerent, ac si huius beneficio Simson in manus ipsorum pervenisset. Dulce itaque ipsi erat atq; decorum, quinimo, quod prius dicere debueram, pium, pro Dei honore mori. Verùm obijciat aliquis: Ultionem Simson oculorum causa suscipiebat, uti ipse profitetur, *Judic. 16, 28.* Hic audiat, qui nobis adversatur, acutissimum Dorscheum, modo sequenti ad hoc dubium respondentem: Quando vires ad ultionem oculorum suorum rogat divinitus Simson, non omnem finem, sed unum tantum explicat; nisi velimus dicere, Simsonem eam ultionem oculorum suorum intendisse, quæ fuit læso, læsionem autem hanc non fuisse privatam injuriam, Simsoni illatam ut personæ privatæ, sed ut publicæ publicam, adeoque Simsonem non tam pro se læso, quam pro læso bono publico in oculis suis ultionem petiisse. *Theolog. Moral. ad Præc. V. §. 720.*

XXIX. Quod ad eventum spectat, succedebat ille ex populi Israelitici sententia. Gemuerant hi hæcenus sub Philistæorum jugo, cùm autem tantam Simsonis opera calamitatem acciperent, exutiebant illud caræque reddebantur libertati. Hæc & similia, quæ attulimus, B. Rungius in cap. 20. *Exod.* summam dixit, quem locum dignum, qui hic adjungatur, judicamus: Simson, inquit, tanquam magistratus populi Israelitici, exponens se periculo mortis pro subditorum salute, heroico facto blasphemiam divino nomini illatam ab hostibus punivit, libertatem aliquam suo populo peperit, vocationi suæ satisfecit, & (quod maxime etiam ad Simsonem excusandum facere

ere potest, ) *typum Christi, morte sua hostes superaturi,*  
*implevit.*

XXX. *Sepultura denique perhonorifica, quæ Simsoni contigit, etiam nonnihil ad excusandum adferre posset, nisi aliis momentis jam esset excusatus. Novimus enim aliàs, quod αὐτοχρησες sepultura fuerint exclusi. Hinc Servius in lib. 12. Æneid. Cautum fuit in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur. Et Athenienses, cum quis manu sibi necem conscivisset, cadaveri manum tanquam facinorosam abscindebant, illamque divisam à corpore inhumatam relinquebant, referente Lavatero in 1. Paralip. 10. De Hebræis idem constat ex Ioseph. lib. 3. de Bello Iud. cap. 25. Eadem in causa Hegesippi imprimis locus lib. 3. cap. 17. est notandus; Hæc non solum moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus. Namque alii insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut, qui patris imperium non expectaverunt, priventur quasi quodam matris gremio, terra sepulcro. Alii dextram manum abscindunt defuncti, ut separent à membris sui corporis, quod adversus corpus suum vesano militavit furore. Ex historia tamen sacra cognovimus, quod & Sauli 1. Samuel. 31, 11. 12. 13. & Achitopheli 2. Sam. 17, 23. sepultura contigerit. Nolumus itaque in illis defensionem quærere, ubi nulla reperienda est. Satius erit, ea momenta penitus considerare, quæ jam attulimus. Quibus etiam freui Simsonem αὐτοχρησias absolutum dimittimus ad forum illud universale, ubi universi olim homines coram Judice supremo sistentur. Molliter interim in Domino quiescat Simson, judiciumque expectet extremum!*

D. S. G.

C 3

Ad

Ad  
*Clarissimum*  
Disputationis eruditæ Auctorem,  
Gratulatio

PRAESIDIS.

**R**Ecte ac sapienter agunt, qui,  
quam in publicum prodeant,  
quandam ante studiorum maturita-  
tem sibi conciliant, profectusque sui  
rationes accurate subducunt. Ex-  
periendo enim cognoscimus, haud  
raro turpiter se dare, qui cruda ad-  
huc studia propellunt in cathe-  
dram, ac de rebus gravibus differe-  
re præoptant, cum veram earum  
rationem nondum satis imbiberint  
animo. Quorum institutum veluti  
procul habuisti, *Juvenis Clarissime,*  
sic



sic non erit tibi dividia, post justas  
moras prodire foras, differendoque  
palam facere aliis, non per iners o-  
tium tibi effluxisse annos, quos in A-  
cademia nostra confecisti; sed pul-  
cherrimarum rerum thesaurum tibi  
collectum esse, ex quo promptum de-  
promere, quod rationibus tuis in-  
servire videtur. Satis hoc edocet  
argumentum illud haud proletari-  
um, de quo differere in publicum  
constituisti, unde multiplicem de-  
cerpere fructum licebit. Nam &  
constare tibi indicat justis honesti-  
que regulas, quibus vita dirigitur,  
mortalium, & illam abs te initam  
discendi viam, quæ tibi aliud vitæ  
genus ingresso non abjicienda sit,  
protenus, sed custodienda & perfici-  
cien-


cienda, nec nisi cum vita ipsa depo-  
nenda. Et hoc ipsum est, de quo  
tibi impense gratulor, auctorque  
tibi sum, ut in nobili hac arena, in  
qua vincere eximium, vinci vero  
non propudiosum, pluribus vicibus  
te exerceas, itaque existimes, non  
defutura tibi præmia, quæ decus in-  
dustriæ tuæ ab aliorum ignavia  
distingvent. B.V.



05 A 2072

ULB Halle  
003 783 049


3



VD 17







Farbkarte #13

B.I.G.

B. V.

ONEM  
 EIPIAC  
 UTUM,  
 SIDE  
 IO, AMPLISSIMO  
 ENTISSIMO  
 ANO Röhrenseer/  
 P. longè celeberrimo,  
 phoro gravissimo,  
 TORE, ac PROMOTORE  
 S observantia cultu  
 rando,  
 stioni subicit  
 R. M. DC. XCIIX.  
 L. C.  
 S Kunze/ Leisnigio.  
 or. Sax. Alumnus,  
 sponsurus.

---

BERGAE,  
 HROEDTERI, Acad. Typ.